



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiae & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

Comitin, César Jean-Baptiste

Coloniae, 1709

§.1. Deum infinitum lædit peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50773)

CAPUT SECUNDUM.

*Octo rationum momenta, quæ Deum
offensum spectant.*

MUltum dixisse videor; sed nihil ad
ea quæ sequuntur.

Omnis lethifera labes divinæ majestatis
imminutæ crimen est. Ergò huc animum
intendito.

§. 1. Deum infinitum ledit peccatum.

Meditare, quò se fundat, quantumque
pateat illa majestas? quàm immensa, quàm
omni ex parte incircumscripta? quid in ea
potentiæ? quid virium? quid scientiæ? quid
virtutis? deinde ita tecum disputa. Ex dig-
nitate majestatis appetitæ, crimen increfcit;
ut quantò augustior est illa, tantò hoc im-
manius esse necesse sit. Levius est, obscuri
hominis gratiam effundi, quàm præstantis
viri, & hujus, quàm Principis. At Regum
nulla non injuria atrox est. Quid igitur, si
Rex Regum Deus appetitur? quid si ab ho-
mulo abjectissimo? quod aliud caput est
indignitatis. Quantum intervallum est in-
ter mortalem & immortalem, inter
hominem & Deum, quis assequitur co-
gitando? Nimirum tam atrox facinus est,
tàmque desperatum, ut si extrema pernicies

im-

immineret Angelis, hominibus, cælo, terrisque, optanda sit totius latè mundi ruina, præ unius vel levissimæ in Deum injuriæ offensione. Quid ergò statuemus de immanibus, nefariisque flagitiis, quæ tam facilè admittimus, tot & tantis? Hunc tu furorem animo putas posse complecti? *Peccatum est inhonorare Deum; quod non debet facere homo, etiamsi totum pereat, quod non est Deus.* [Augustinus.] Vim expende sententiæ; nec dici potuit amplius; nec dici debuit minus.

§. 2. *Præsentem laceffit.*

Age, quoniam hoc cepimus, nunc illud meditare: quod non solum tantus Deus offenditur; sed præsens quoque, ac coram illuditur. Non ignoramus, in ipso nos vivere, moveri: & esse: non nescimus, ejus oculum omnia penetrare, nec longè ab unoquoque nostrum abesse: (Act. 17.) nihilominus audemus; & quasi insultantes tantum non dicimus: Etiam si rebus meis inter sis, notes, oculis cuncta designes; scelus hoc infigam ante ora: neque est mihi curæ, quòd doleat, quòd te acerbissimè torqueat. Approbante improbante, æquo atque iniquo aggrediar, ac complebo. O intolerandam insolentissimæ mentis audaciam! Tu hæc in
De-